Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1427
Quelle:
Copyright:

dere &c. Extant in *Opp. Hussi cit.* T. I. p. 331. Mox sub initium inter verba: *clerum ewangelicum* et *potest reprehendi*, intersere e Codice nostro: *quem ipse Magister Stanislaus vocat fictum clerum ewangelicum.*

IV. *fol.* 38. p. 2. Συλλογη *de Poenitentia et Confessione* Locorum *Augustini*, *Glossae Ord. Haimonis*, quem et *Hericum* vocat Noster, et *Remigii.* Inter alia Sermo integer *Augustino* tributus, sed spurius, qui in edit. *Maur.* legitur T. V. *append. col.* 415.

V. *fol.* 42. *D. Bernardi Epistolae* II. Prior ad *Adam Monachum. Si maneres in caritate, quam olim in te* &c. Altera ad *Eugenium* Pontif. *Auditum est in terra nostra* &c. Extant edit. *Maur. Vol.* I. T. I. Epist. VII. et CCXXXVIII. *col.* 17. et 233.

VI. *fol.* 46. *Joh. Hussi* Responsum ἀνεπιγραφον, quod incipit: *Quia magister Stephanus palecz doctor theologie olim amicus meus et socius precipuus nunc vero captiosissimus adversarius* &c. Extat edit. *Opp. cit.* T. I. p. 331.

VII. *fol.* 53. *M. Huss appellacio a johanne XXIII. ad christum.* Init, ut edit. mox *cit.* p. 22. *Quia dominus omnipotens unus in essentia* &c. abrumpitur vero in verbis: *tum quia me fecerunt aliena pericula cautum.* Interim Edita eatenus e Codice perfici possunt. Post verba: *committens sibi causam meam*, adde: *saluatoris ihesu christi sequens vestigia.* Post verba: *Michaelem de Caussis*, insere: *plebanum quondam Ecclesie sancti Alberti in noua Ciuitate Pragen.* Abruptis subjunge: *scilicet Magistrorum Stanislai et Stephani Palecz spoliacio et incarceracio, qui in Bononia pecunijs* — —. De quo eventu dixi *Vol. super.*

VIII. *fol.* 57. *Incipit Pastorale beati Ambrosij.* Libellus hic variis titulis in *MSs.* insignitus, tributus etiam *Gilberto*, potius *Gerberto Philosopho* facto deinde Rom. Pontifici sub *Silvestri* II. nomine, habetur praevia *Admonitione* in *Append. Opp. Ambrosii* edit. *Maur.* T. II. *col.* 357. Sed nobis hic ἀκεφαλος est, iis primum verbis incipiens: *Non iam ad subditum loquor vlgus, quos iugiter monere consueui* &c.

IX. *fol.* 59. p. 2. *Incipit quidam libellus M. Jo. Huss contra scriptum octo doctorum.* Ita: *Superest octo doctorum facultatis theologice scriptum discutere, quod Stephanus palecz* &c. Ut extat *Opp. Hussi suprac.* T. I. p. 366.

X. *fol.* 87. *Sermo uel Collacio coram Magistris in Collegio karoli studij pragen.* In illud: *Humiliamini sub potenti manu Dei. I. Pet.* 5. Incipit: *Saluator noster ihesus christus uidens genus humanum vlnere grauissimo ac letali sauciatum ipsa superbia*, &c. agitque de Animi demissione. Non ausim fidenter *Husso* tribuere; ita nihil Viri χαρακτηριστικον offert.

XI. *fol.* 91. *Incipiunt meditaciones beati Bernhardi.* Illae videlicet: *Multi multa sciunt, se ipsos autem nesciunt* &c. *Bernhardo* abjudicatae et repositae in T. V. Edit. *Maur. col.* 319.

XII.